

sæpius accidit nostra ætate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et sæculi obliqua sectentur, eo præsertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque ephemeralium turbam præoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adulteræ proiectæque ætati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communī bono prospicere.

Certi custodian tur fines, tum quos Ecclesiæ leges præstituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istæc semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione cœlestium quæsita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsem dognoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitæ perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti præsertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, excita judicium conscientiae tue, ab ipsa rationem exige, et que interdiu mala cepisti consilia . . . , fodica et dilania, et de eis panum surue (1). Quam rectum id sit ac fructuosum christianæ virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Præclarum illud referre placet e disciplina sancti Bernardi: *Integritatis tue curiosus explorator, vitum suam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias. . . . Stude cognoscere te. . . . Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange* (2).

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis!* (3) Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam sæpe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; jacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent a sarcendas. Nos vero, quibus fortasse ardet animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam præsidio scientiæ prædicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimonias videlicet adeptiōnem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea pæne silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum re-*

(1) Exposit in Ps. IV, n. 8.

(2) *Meditationes piissimæ, e. v, de quotid. sui. ipsius exam.*

(3) *Luc, xvi, 8.*